Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Quriricio

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

aspiciens per parietem per hostium uidit .vii. angelos circa infantem stantes. Dixitque: Dii uenerunt in domum meam, statimque cecatus est. Ad cuius clamorem tota ciuitas lucana commota est, ita ut ualerianus accurreret et quid sibi accideret inquireret. Cui ille: Deos uidi igneos et uultum eorum ferre non potui. Ad templum igitur iouis ducitur et thaurum cum cornibus aureis pollicetur pro recuperatione luminis. Sed cum nichil proficeret, filium pro sua sanatione rogauit et lumen suis precibus recuperauit. Cum autem nec sic crederet, sed potius filium occidere cogitaret, angelus domini modesto pedagogo eius apparuit et ut nauem conscendens puerum ad aliam terram deduceret imperauit. Quod cum fecisset, aquila eis cibum offerebat et multa ibidem miracula faciebat. Interea filius dyocletiani imperatoris a demone arripitur et nisi uitus lucanus ueniat se numquam exire fatetur. Vitus queritur et inuentus ad imperatorem deducitur. Cui dyocletianus: Puer, potes filium meum sanare uales. Cui ille: Ego non sed dominus. Statimque super eum manum imposuit et protinus ab eo demonium aufugit. Et ait dyocletianus: Puer, consule tibi et diis sacrifica ne mala morte intereas. Quod cum ille recusaret et in carcerem cum modesto missus fuisset, ab ipso ferri moles que eis erant imposita cecidit et carcer inmenso lumine choruscauit. Quod cum imperatori nuntiatum fuisset, eductus in clibanum ardentem mittitur, sed statim illesus egreditur. Tunc leo ad eum terribilis ad deuorandum dimittitur, sed cum ab eo fidei uirtute placatur. Tandem ipse cum modesto et crescentia nutrice sua que semper eum secuta fuerat in eculeo suspendi iubentur. Sed subito aer turbatur, terra quatitur, tonitrua mugiunt, et ydolorum templa corruunt et multos occidunt. Imperator autem territus fugiens pugnis se percutiebat dicens: Ve mihi quia ab uno puero uictus sum. Illi autem ab angelo continuo soluti iuxta quoddam flumen se inuenerunt et ibidem pausantes et orantes domino animas reddiderunt. Quorum corpora ab aquilis custodita florentia illustris matrona sancto uito reuelante repperit et ea accipiens honorifice sepeliuit. Passi sunt autem circa annos domini .cc.lxxxvii.

Quiricus querens arcum. De sancto quirico

Quiricus a chisil quod est fortitudo et cus niger, uel a quirus quod est hasta, uel a quiles quod est sedile. Ipse enim fuit arcus id est fortis in tormentorum perpessione, niger in sui despectione, hasta in inimicorum debellatione, dei sedile ex dei habitatione. Hec enim gratia suppleuit que etas negauit. Iulitta iuuans uita, quia uita spirituali uixit et per hanc multos profuit.

De sancto quirico · [illegible]

Quiricus fuit filius iulitte illustrissime matrone yconie. Que persecutionem declinare uolens cum filio suo quirico qui erat trium annorum in tharsum cilicie uenit. Sed cum alexandro presidi presentatur in ulnis suis puerum gestans, quod due famule sue uidentes fugerunt et eam penitus reliquerunt. Preses igitur puerum in ulnis suis accepit et matrem sacrificare nolentem neruis crudis flagellare cepit. Puer autem matrem flagellari conspiciens amare flebat et lamentabiles uoces dabat. At preses puerum quandoque super genua ponens, cum osculans et aliis blanditiis demulcebat. Infans autem ad matrem

respiciens presidis oscula abhorrebat et caput cum indignatione uertens uultum eius unguibus laniabat et uoci congonas uoces dabat quasi diceret. Et ego xpianus sum. Tandem diu reluctans presidem in scapulis momordit. Tunc preses indignatus et dolore cruciatus puerum ab alto per gradus precipitauit ut tribunali cerebellum cerebri ad terram. Julita uero filium ad regnum precessisse uidens leta gratias deo reddidit. Tunc iulitta iussa est excoriari et bullienti pice perfundi et demum capite truncari. In quadam autem legenda inuenitur quod quiricus tyrannum blandientem eque ut minantem parui pendens xpianum se confitebatur secundum quod puer elinguis infantulus scilicet in eo loquebatur spiritus sanctus. Quem cum preses interrogaret quis eum doceret sic ait. Tuam o preses miror insipientiam qui in me tantillam cernens etatulam non diu temporis curriculo terminum pertingentem quis me diuinam edocuit sapientiam. Qui cum cederetur clamabat xpianus sum et quotiens hoc clamabat totiens uires inter tormenta recipiebat. Preses autem matrem cum puero membratim secari iussit et eorum membra ne xpianis sepelirentur dispergi mandauit. Sed tamen ab angelo sunt collecta et nocte a xpianis sepulta. Horum corpora tempore constantini magni cum pax ecclesie reddita est ostensa sunt a quadam ex ancillis que adhuc superstes erat reuelantur et in deuotione magna ab omni populo honorantur. Passi sunt autem circa annos domini ccxxx sub alexandro.

De sancta marina virgine

Marina virgo unica erat patri suo. Cum autem pater eius quoddam monasterium intrasset mutauit habitum filie sue ut non femina sed masculus uideretur. Rogauitque abbatem et fratres ut filium suum unicum reciperent. Qui eius precibus annuentes in monachum eum receperunt et frater marinus ab omnibus appellatus. Cepit autem ualde religiose uiuere et ualde obediens esse. Cum autem xxvi annorum esset et pater eius se morti appropinquare sentiret filiam suam uocauit et ipsam in bono proposito confirmans precepit ne aliquando alicui reuelaret quod mulier esset. Ibat autem frequenter cum plaustro et bobus et ligna monasterio deferebat. Consueuit autem hospitari in domo cuiusdam uiri cuius filia cum de quodam milite concepisset interrogata marinum monachum se uiolasse asseruit. Interrogatus marinus cur tantum flagitium perpetrasset se peccasse fatetur et ueniam petiuit. Statim de monasterio eiectus ad hostium monasterii mansit et tribus annis ibidem permanens buccella panis sustentabatur. Post hos filius ablactatus abbati mittitur et marino educandus traditur et cum eo ibidem per duos annos iam commoratur. Omnia autem in maxima patientia recipiebat et in omnibus gratias deo referebat. Tandem eius humilitatem et patientiam fratres miseriti in monasterium recipiunt et que sunt officia uiliora sibi iniungunt. Ipse autem omnia hylariter recipiebat et cuncta patienter et deuote agebat. Tandem in bonis operibus uitam ducens migrauit ad dominum. Cum autem corpus eius lauarent et in uili loco sepelire disponerent respicientes mulierem ipsum esse uident. Stupefacti omnes et timore perculsi se in dei famulam plurimum deliquisse fatentur. Currunt omnes

De sancta marina.